

quod jactata argutia fundamentum ponis, falsissimum esse voluit; omniaque tunc instrumenta litis & Romam allata, & diligenter excussa, profitentur. Exemplaria, Christophori verba sunt, utrobique allata fuisse, quibus Romæ diligenter inspectis, quatuor post annos, Clemens VIII. tam Religiosis utriusque, quam quibusvis Ecclesia Catholica Scholasticis Doctoribus, & Professoribus, utramlibet sententiam tueri, docere, ac legere, publice etiam pro Academicarum more, diplomate suo arbitrium liberum fecit. &c.

Eia tamen, & tuos illos Concellitas, uti ea parte delusos, ac mille mendaciorum, in hac Auxiliorum Historia breviter delibanda, convictos rejiciamus. Te ipsum hac tua argutia jugulas, Eleutheri, quæ si quid evicit, ut constat, non potuisse jam tunc Romanum Pontificem dato Rescripto insinuare, Prædicatores ante semper, & tunc etiam conformia Doctori Angelico docuisse; id quoque evincit, non potuisse jam tunc Romanum Pontificem dato Rescripto denunciare, quod illum denunciasset contendis, posse nimirum ex æquo Dominicanos, & Jesuitas suam utriusque sententiam docere, atque defendere, modo sanam, atque Catholicam doctrinam tuerentur. Sic enim ego, cum libuerit, puri tecum subtilitate disputabo: Hoc ipsum in controversia positum erat, utra pars litigantium sanam, atque Catholicam doctrinam tueretur; illi namque, ut Pelagiani, isti, ut Calviniani, traducebantur. Explorandum igitur erat, utra pars de Divina Gratia sane sentiret, atque catholice. Expectabantur autem etiam tunc ad id explorandum, judicandumque, necessaria documenta. Qua ergo, non dico, prudentia, sed æquitate denunciasset Romanus Pontifex, posse ex æquo Dominicanos, ac Jesuitas suam utriusque sententiam docere, atque defendere, modo sanam, atque Catholicam doctrinam tuerantur? Sic enim, quod in controversiam veniebat, uti certissimum judicasset, posse scilicet utriusque Scholæ sententiam cum sana, atque Catholica doctrina componi. Viden, Eleutheri, quo tua ducat argutia? Id itaque fatearis, oportet, non ideo consequens fore, ut de summa litis jam tunc judicaverit Summus Pontifex, etsi dato Rescripto oblique significarit, Prædicatores ante semper, ac tunc etiam conformia D. Thomæ docuisse. Quorum vero ita? Quia fiduciarum duntaxat Rescriptum erat, atque ad tempus: *sino ad altro suo ordine, o dichiaratione*. Sic enim, donec de lite statueretur, ex jure, & æquo visum est, Dominicanos interim Sociis anteferri, spectatis saltem causæ præjudiciis: cum illi ex antiqua tradendæ doctrinæ suæ possessione, citra injuriam, re nondum eliquata, deturbari non possent; isti ex adverso ob novellam, quam se invexisse non omnino diffitebantur, doctrinam, digni essent, quibus docendi libertas interim etiam adimeretur. De qua quidem antiquæ doctrinæ, a Prædicatoribus assertæ, possessione, deque novellæ, a Jesuitis in Scholas invecitæ, libera eorumdem confessione, dictum satis a nobis est, lib. 1. Hist. cap. 13. & hac ipsa Sectione 3. cap. 2. 9. 10. 11. Ne vel nostris plus justo tributum, vel quidquam vestris per calumniam afflictum, queri possis, refutatæque jam narias iterum occentare.

Nec nos admodum anxios habet quorundam Quæsiturum Hispanorum auctoritas, qui, denunciata partibus dissentientibus Pontifici interdicti laxatione, Dominicanos, ac Jesuitas conditione pares fecerant, data utriusque libera facultate, *legendi, ac disputandi de presata materia de Auxiliis*

Divine Gratiæ, & eorum efficacia, ut ante fiebat: ea nihilominus lege, ut sanam semper, & Catholicam doctrinam propugnarent. Quandoquidem de mente Pontificis judicandum venit ex Autographo ipso, Roma transmissio, ejus exemplum dedimus lib. 1. cap. 26. non ex vicariis Hispanorum Quæsiturum instrumentis: Maxime cum in eos, de violata Pontificis mente, ac voluntate, actio a Dominicanis instructa sit. Næ te vero fallacem adulatorem, atque palponem, qui Hispaniæ Quæsitores, sicubi tuis contra jus, & æquum, adaverint, inculpato, nullique errori obnoxios haberi velles: spectataque pietatis, ac doctrinæ Virum Franciscum Pegnam, una mecum maledictis lacessis, (1) quod nonnulla Clementis VIII., in eodem concitati, cruda verba reulerimus: cum tu interim nec Episcopis, nec Eminentissimis Principibus, ac ne ipsis etiam Summis Pontificibus parcas, si quid eos, in hujus causæ tractatione, humani passos, existimes? Nos ex certis Historiæ legibus, quæ probatis instrumentis inserta legimus, ea haud gravate litteris dedimus, ne Quæsiturum, aliorumve, si quis fuit error, aut oscitantia proderetur.

Tota vero aberras via, dum silentii legem paribus conditionibus utrique parti anno 1598. laxatam, probaturus, Joannis Puteani, & Andreae Duvalii suffragia producis, factam a Clemente VIII. utriusque sententiæ propugnandæ potestatem, asserentium. (2) Non enim ad factam tunc temporis disputandi veniam alludunt, sed ad extremam habitorem Romæ Congressuum clausulam digitum intendunt: erroreque Theologis familiari, quod Pauli V. est, ac fiduciarium duntaxat Rescripto interim toleratum ab ipso fuit, Clementi VIII., veluti litem ultimo finienti, oscitanter ascribunt. Sed neque, si ad annum 1698. respicerent Duvalius, & Puteanus, ulla illorum suffragii ratio habenda foret: quippe qui, nulla Pontificii Rescripti habita ratione, non nisi ex facta Quæsiturum Hispanensium denunciacione, eam, bona fide, Pontificis mentem esse censuissent, quam illi publicato edicto denunciaverant.

SECTIO QUARTA.

Expeditur Eleutherianæ Historiæ Liber tertius, quo triplex causæ cognitio, Romæ habita ab anno 1597. ad 1600., deprimitur, corrumpitur, vellitur.

Hælenus Historicum aut egisti, aut simulas. Belgii, & Hispaniæ turbines, quos Societati ad votum fluxisse dictitabas, narrare ad pompam, ac percensere gestisti, quo me, Gallico sub celo natum, tanquam Belgicarum, & Hispanicarum rerum rudem, in singulis ferme capitibus hallucinatum offenderes. Quæ res eo me impulit, ut geminos illa Historiæ tuæ libros non subultrum, sed continuata serie dispungerem; totumque mendaciorum, fabularumque contextum, ne minimis quidem omissis, scrupulosius excuterem. Nunc, ubi ad Romanum examen ventum est, in quo Molinianas res minus ex voto processisse, fat bene nosti, Historici officio neglecto, a factis ad jura divertis: malique litigatoris, cui causa cecidisse cordolium est, personam induens, non jam nudam rei gestæ narrationem adornas, sed satyræ scribis. Inkrita Romæ judicia deprimis, initos congressus despicias, Censores calumniis atrocissimis oneras, ac velut adversarios insequeris; spretas, damnatasque Molinianorum Acto-

Actorum chartas denuo ingeris, Thomistarumque instrumenta, sacri Confessus judicio probata, aut omittis ex integro, aut leviter cavillaris, ut de tota demum lite, non ex meditata Apostolicæ Sedis sententia, sed ex solis, quæ fingis animo, causæ meritis statuatur. Quid plura? Eo impudentiæ, atque audaciæ progredieris, ut habitas primum, mandante Pontifice, ac præsentibus Cardinalibus, Madrutio, & Arrigonio, Episcoporum, ac Theologorum Congregationes, clandestinas conductitiorum hominum coitiones non semel appelles.

Boni ne, malive litigatoris ista sint, ceteri dixerint. Nos interim, pro suscepti muneris parte, relicto dogmatum, ac juris examine, quod penes delegatos Judices fuit, in factis duntaxat hærebimus. Utque judicata litis historiam dedimus unice, nec causam ipsam novæ disceptationi committimus; ita datæ duntaxat historiæ fidem, quibus a te locis impetitur, asseremus; nec veteres chartas, in quas judicium latum est, ad trutinam revocabimus. Ac donec Thomisticæ partis instrumenta, quibus recuzæ modo Molinianorum Actorum declamationes confutatae sunt, publici fieri sicut; haud aliud ad eas responsum accipies, nisi celeberrimæ Congregationis judicium, quo futiles, nulliusque ad jus evincendum momenti, a selectis Judicibus dictæ sunt. Quapropter in cæteris tantum, quæ vel ad vellendam Historiam, vel ad institutum Romæ judicium deprimumdum congesti, omnis nunc opera desudabit.

CAPUT PRIMUM.

Eleutheri de instituta Romæ Congregatione, necnon de primo selectorum Censuram examine, commenta, fabulle, diſſidia, calumnia recensentur, ac rejelluntur.

Quod Pelagianis vitio dederat Augustinus, (1) *Vobis parum est, Judices nolle, nisi etiam vos facere insuper audeatis*, id tu in gloria parte reponis, dum in delectis Romæ Censores omne maledicentiæ genus exeres, ut omnem illis in ferendo judicio fidem, & auctoritatem eripias; pauculis illis duntaxat exceptis, qui a Molinianis partibus steterant. Et nos quidem harum calumniarum, somniorumque partem haud modicam, de Gregorio Coronello, Joanne de Rada, Francisco Pegna (quamquam hic Censoris officio sanctus non est) a tuis antea publicatam, abunde depulimus §. 8. ac 10. Præfationis, necnon lib. 1. Historiæ, cap. ultimo. Cetera, de tuo addita, adeo sunt insultatis, & ineptia plena, ut risum verius, quam stomachum moveant. Equis enim risum contineat, ubi seria te, gravique oratione narratem audit, Clementem VIII., factiosum Cardinalium Dominicanorum, Alexandrini-nimirum, & Afulani, coitionibus occupatum, malignisque Francisci Pegnæ, Rotæ Romanæ Decanum artibus circumventum, Censores, in Societatem male animatos, nec satis pro argumenti dignitate peritos, ex ipsorum investigatione, atque designatione, nuncupasse? Horum bene multos, beneficiis partim acceptis, partim speratis, Cardinali Alexandrino fuisse obstrictos? Nonnullos in Cardinali Afulani aula assiduos? Itos e Gallia exules, Francisci Pegnæ beneficentia sustentatos? Illos in tribunali Rotæ litibus implicitos? Quosdam, editis Romæ libris, Sacri Palatii Apostolici Magistro factos obnoxios? Aliquos Domini-

canis & sanguinis, & amicitiaæ federe junctos? Aliasque id genus nugas, ad deprimumdum Censuram judicium venditatas?

Sed sunt hæc, inquis, partim ex libello supplici, per ea tempora Pontifici dato, partim ex Codice MSS., Congregationis undecim completæ, descriptæ. Dubito: nec quemquam usque adeo impudentem fuisse, puto, ut Pontifici Maximo iniquorum Censuram delectum, aliena investigatione, ac suggestione factum, in faciem objecerit; compertumque habeo, nullo Notariorum MSS. Codice contineri, quæ ex privatis domestico- rum criminatorum quaternionibus exscripti, aut etiam corrupti. Sit ita tamen, ut notas, easque de selectis Censuris querelas detulerint tui; hinc potius facile colligo, eas & calumniæ plenas Romano Pontifici visas esse; cum, hac ipsa expoſtulatione posthabita, atque rejecta, delectos semel Censores, confirmarit, neminemque illorum unum officio depulerit; immo illorum aliquos sacris honoribus, ac dignitatibus auxerit. (2)

Quam inepte, stolidique tua illa de infensis Societati Censuris, Dominicanorum Cardinalium suggestione, delectis calumnia structa sit, (3) non ipsa duntaxat evincit Clementis VIII. in Societatem propensa voluntas, ingentibus beneficiis Christiana Orbi testata, animique juris, & æquitenacissimus; Cardinalium Alexandrini, & Afulani eximia in Deum pietas, a summis Scripioribus (4) commendata; de quo tam indignas artes, & coitiones suspicari nefas est: verum etiam factus a Clemente VIII. duorum Cardinalium (5) delectus, qui primos Censuram Congressus moderarentur, iisque præfesset. Illos quippe, ut lib. 2. cap. 2. probaturum est, elegit ex omnibus, qui Societatem præ cæteris coleret, fovarentque. Ut quid autem infensis Societati Censores, seu fupte genio, seu aliena investigatione nuncupasset, qui munificentissimos Societatis Mecænatæ, atque patronos congressuum moderatores, ac præfides dedit? Fraude vero, atque perfidia lectores fallis, qui ut finitram de selectis Censuris suspicionem, jam tum apud viros eruditos enatam, exceptionemque adversus illorum judicium datam, ostendas, istam Joannis Garcia Professoris Vallisoleani, ad Joannem Baptistam Plumbinum scribentis, periodum in eos misere regeris, *Auctoritas Virorum, qui Molina contradicunt, me moveret, nisi satis animadvertorem, in his particulares respectus misceri, quos penetrare non est difficile. Adde etiam, in questionibus tam acutis, & subtilibus non omnium esse, licet pro doctis teneantur, securum judicium ferre*. Integram enim Epistolam a te lib. 2. cap. 12. recitatam læſtitanti perspectum est; ne per somnium quidem de Romanis Consultoribus agi, tota illa Garcia ad Plumbinum Epistola, sed de nonnullis Hispaniæ Professoribus, de quibus tuus ille Garcia, Molinianas chimeris mentem patuit, finitram nescio quam suspicionem imberberet.

Quare eodem est habenda loco tua illa de Romanis Censuris structa calumnia, quo altera paris audaciæ de Francisco Pegna scyphantia; quem eorum Hispanorum partibus implicitum dicis, qui non doctrinam solum Jesuitarum, sed mores, institutum, ipsique adeo Fundatorem Ignatium, dum adhuc in vivis esset, acerbis obſectationibus inſectabantur. Mendacium illud tuum revincit in primis temporis nota. Quo enim anno Ignatius excessit ad superos, nimirum 1556., annum, ut ut maxime, decimum-seximum numerabat Fra-

ficus

(1) Lib. 2. Cap. 30. (2) Joan. Pat. 1. 2. quæst. 111. dub. 4. And. Duval. Traſt. de Gratia quæst. 4.

(1) Lib. 3. primi Operis contra Jolianum c. 1. (2) Vide lib. 2. cap. 4. (3) Vide lib. 3. cap. 45. (4) Ciaconius. Ughellius. Oder. Raynaldus. (5) Card. Madrutius, & Arrigonius.

fcus Pegna; (1) ac necdum quidquam per atatum in Dei Virum tentare poterat. Ut diffimilem, excitos illos in Ignatium, totamque Societatem Hispaniæ turbines, quibus Pegnam implicitum lingis, in annum 1548. referri ab Orlandino lib. 8. Historiæ Societatis, quo tempore vix balbutire, necdum in Ignatium vocem tollere, ac de novi instituti moribus lites ferere poterat. Revincit hoc idem adorata ab eodem Francisco Pegna Societatis defensio adversus Senatus Parisiensis Edictum, occasione facinoris, a Joanne Castello admitti, cujus defensionis fragmenta dedimus §. 10. Præfationis, in Ignatii & Instituti ab eo Societatis laudes effusa. Adeo illorum non erat unus, qui Jesuitarum mores, & institutum, ipsamque etiam Fundatorem Ignatium, dum adhuc in vivis esset, acerbis obreclationibus insectabantur.

Mitto reculas toties de præcipitato priori Centorum judicio criminatioes, ac strophas, a me prolixè admodum confusas, Tom. I. Gallicæ Defensionis, cap. 3. ac sũnde lib. 2. Historiæ, cap. 1. & 4. Esi non in Censores, si qua fuisset, præperea celeritatis culpa recideret; sed in geminis Cardinalis, Madrutium, & Arrigonium, congressuum jam tunc moderatores, ac præfides, quorum nutu, atque imperio gerebantur univèrsa. Nec quidquam lati in Molinam judicii æguitati derogaret ea prioris, ut fingitur, examinis festinatio; cum meditata illic Censura, non nisi post lentas, ac repetitas sæpius totius causæ cognitiones, post morosam duorum annorum cunctationem, post auctum denique Censuram, ac Judicium numerum, statuta subinde, decretaque sit. Duo monerè facis fuerit ad capitales nonnullas calumnias repellendas. 1. Ex digesto jam tunc locorum circiter centum elencho, (2) quos ex triplici Molinianæ Concordiæ Editione Ulyssiponensi, Veneta, Atverpiensi congestæ Congregationis Notarius, aperte constare, Censores Theologos Molinæ librum fat bene, in ferendo primo judicio, præsentem habuisse; nec de illo ex solis, uti debeat, Bannesi, & Alvaresii excerptis, tulisse sententiam. (3) 2. Ex dictis a nobis Tom. 2. Gallicæ Defensionis, art. 18. & 25. necnon etiam lib. 1. Historiæ, cap. 13. & 16. liquere omnino, nihil verius, ac certius, primo illo examine a Consultoribus conclusi potuisse, quam unicum Molinæ consilium fuisse, novam quandam Concordiam, a se primum excogitam, tradere &c. hocque ex quatuor Molinianæ Concordiæ principis unum esse, in particulari davi rationem prædestinationis bonum usum liberi arbitrii. Quam ab illo labem abstergere, detortis, & a me pridem exfusillatis, testimoniis, frustra niteris.

Hanc tu falsam de præcipitato priori examine opinionem exiisses, si quod notatum a me fuerat, hoc menti defigere libuisset: non stetit scilicet primam Molinianæ causæ cognitionem congressibus illis undecim, a die 2. Januarii anni 1598. ad 13. Martii proxime secuti celebratis; sed ipsa maxime eorumdem Congressuum recognitione, per Congregationes plus minus quadragesima continuata ad diem usque Novembris 22., solennique congressu die 12. Martii habito anno 1599. quo demum tempore prima in Molinam meditata Censura subscripta est. At vera moment non modo audire detrectas, sed rejicis arroganter. Quis credat, exclamas, aut cui id Historici tantillum sapienti persuadeat? Quid enim? Post latus duorum mensium spatio tot censuras propositionum Molinæ, post decretorum judicium, quo libri

Molinæ, uti noxi, prohibendi censentur, post informatum de eventu Congregationum Pontificum, rem maturius expendere jubentur a Pontifice, tantam celeritatem in se gravi admirantur. Et post hoc dicitur, undecim illis duorum mensium congressibus non stetit primum examen; quasi scilicet subsecuta recognitio spontanea, & priorum Congregationum series quedam continuata fuisset; cum & coacta fuerit, & notabili temporis hiatus disrupta? Enim vero, si res tam distinctas componere in unius examinis formam Historicus vult, cur post undecimum congressum, tot Censuras de propositionibus, & universo libro Concordiæ, ac Commentariis Molinæ in 1. partem, Consultores tulerunt; si primum examen unius, & amplius anni cognitio dicenda sit? Ergo sententiam tulerunt, inchoata duntaxat, planeque imperfecta cognitione inchoata duorum; & decem, qui superant menses, intra quos primum, teste Historico, examen stetit, latam sententiam ordine præpæsto secuti sunt. Quid hoc aliud esse dicam, quam primo sententiam ferre, deinde causam cognoscere? Atqui nihil a Consultoribus præpæsto gestum esse, si minus tibi, at certe vel mediocriter sapienti facile persuadebo, modo duo distinguere ne grave-tur, quæ tu, ut præpæsto iudicandi rationem Consultoribus objiceres, confutasti: Prohibendos scilicet communi confusione Molinæ libros; ac damnandas peculiariter, fuisse speciatim notis inreduas ejusdem Auctoris individuas assertiones. Primum novem Congressibus sanctum est, a die 2. Januarii ad 13. Martii; alterum continuatis subinde per annum sessionibus eventularum, quo tempore Clemens VIII. Ferrariam iter intendit. Idque ex familiari Romanæ Curie usu, ubi libri interdum generali antea confusione damnantur, quam excerptæ inde peculiare assertiones configantur. Primum enim minoris longe est operæ, atque disceptationis, quin uno plerumque, alterove Congressu absolvitur: alterum maturioris inquisitionis est, atque judicii. Quare non lata primum in Molinam sententia est, deinde cognita causa, toto illo, quem primum voco, Centorum examine: sed de ejus in commune prohibendis operibus institutum primo judicium, ac lata sententia; tum de ejus peculiaribus assertionibus confingendis, institutum, seu verius continuatum examen. Jam vero spontaneam fuisse priorum Congressuum continuationem, non coactam, aut notabili temporis hiatus disruptam; nec aliud Censuris a Pontifice injunctum interim, quam ut allata ex Hispaniis instrumenta ad crism exigenter, suaque singuli suffragia scripto mandarent; illud invide demonstrat, quod etiam, post habitam die 13. Martii Congregationem undecimam, atque ante denunciatum, ineunte Aprili, mandatum Pontificium, in suffragia etiamnum irent DD. Consultores. Extat enim vero datorum tunc suffragiorum Commentarius, in Romano Augustinienfium archivo, quibus sua ferè singulis dies adscripta est. Horum porro nonnulla, ut sextum, ac septimum Coronelli, diem referunt decimam quintam, & vigesimam nonam Martii.

Quam festivas de hujus primi examinis continuatione, (seu, ut vocare lubet, de secundo Centorum examine) fabulas narras! Pontificem nimiam primi examinis festinationem demuram, Censores ad incudem cum aliquo rubore dimisisse; novosque subinde Congressus clam, hoc est, vobis inscis, fuisse celebratos. Nempe tria ista sine auctore, sine teste fingenda erant, Pontificis admiratio, rubor Centoribus ex alto suffusus, clancularia novorum coetuum celebratio. De quibus, ad fabula con-

confutationem, plus satis a nobis aibi (1) didicim. Verum illud festivitatem omnem superat, quod in descriptis a Coronello novorum istorum Coetuum Actis suggillati, ut ea lubricæ fidei esse convinceres. Voluit Pontifex, inquit Coronellus in Actorum compendio, ut Consultores examina- rent Apologiam Patrum Predicatorum in Hispania contra decem capitales propositiones Molinæ &c. Quibus verbis fallitatem palpabilem contineri, vis: quia certum est, decimam propositionem de Confessione per litteras, quæ in ista Predicatorum Apologia accusatur, non esse Molinæ, sed Suarezii, ut ipsi Dominici in ipsa Apologia fatentur. At hæc verius palpabilis hallucinatio tua est, qui ne ipsum quidem Apologiæ titulum observasti, qui non unius Molinæ propositiones hoc scripto accusari, monent Predicatos, sed & aliorum ejusdem novæ doctrinæ fætorum de eadem Societate: in quibus cum esset Franciscus Suarez, ejus de Confessione per litteras propositio una cum aliis Molinianis accusata est; ac demum peculiari Clementis VIII. decreto inuita. Secretarius autem, compendiariam Actorum narrationem adornans, de eadem capitales propositiones Molinæ compendio dixit, ommissis scilicet, quæ sequuntur, tituli verbis, & aliorum ejusdem novæ doctrinæ fætorum de eadem Societate. Haud minori hallucinatione fallitatis, dicam afficatis aliis Coronelli verbis, proxime subjectis: *Expensis scriptis Episcoporum, & Universitatum, quæ Romanæ niste supremæ Hispaniæ Inquisitor, apparuit ex pluribus illorum, judicium Congregationis non rigorosum, sed mirissimum fuisse.* Nec enim alio titulo fallitatem exprobras, quam quod tibi ipsi falso persuadeas, majorem scriptorum illorum partem Molinæ fuisse: cujus tibi commentariis vanitas Tom. 1. Gallicæ Defensionis, cap. 6. & 9. & lib. 1. Historiæ, cap. 23. & lib. 2. cap. 28. demonstrata est: nec alia meliori via Salmantinam Academiam Molinæ tuo adfuisse probas, quam fæda, atque indigna Decreti, ab ea editi, falsatione, ac corruptione, (2)

Sed dignam tot fabularum clausulam audiamus. Clemens Pontifex, inquis, rebus ex sententia Ferrariæ sanctis, Roman reversus, a Cardinali Madrutio, & Arrigonio audit, repetitis Consultorum judicis damnatum Molinæ librum; curamque prescribendam censuræ Coronello demandatam, qui eam, juxta Consultorum suffragia accurate conceptam, scripto complecteretur. . . Res pronò curio eo vergebat, quo Dominici optabant, ut, nullis Molinæ defensoribus coram auditis, Pontifex a potentissimis Bannesi patronis persuasus, librum Molinæ auctoritate Apostolica proscriberet; juxta audita suffragia Consultorum. . . Quod sane successum forsitan habuisset, nisi Societatis æmuli, tanquam re confecta, præ gaudio gestientes, nec satis secreti tenaces, indicia damandi proxime Molinæ libri lucentia dedissent. Quibus excitati, & commoti vehementer cum Viri Principes, tum Societatis Theologi, variis oblati supplicibus libellis, tandem obtulerunt, ut pro sui defensione loqui & ipsi possent. Tum in fidei argumentum, Principum Litteras subjicis, Philippi II. ad Clementem VIII. & Ducem de Sessa datas die 26. Novembris 1598. & Mariæ Imperatricis die mensis ejusdem 14. Clementi inscriptas.

Sicque in consancinanda Historia rationes temporum subducis, Eleutheri, ut Epistoliarum lacinias, quo minime pertinent, eo referas? Certe

prescribendam Censuræ curam Coronello die duntaxat 22. Novembris demandatam agnoscis: Clemens etiam, Historicorum omnium fidei, non nisi die Decembris 20. Ferraria Romam reversus perhibetur; ubi sancienda Pontificia auctoritate Consultorum Censuræ consilium suscepisse narras, a Dominicanis, non satis secreti tenacibus, in Hispania proplatam. Quid tu ergo excitatos eo rumore Principes somnias, ut die Novembris 14. & 26. ad Molinæ gratiam Litteras darent? Quali vero eo sint excitati rumore bino ante mense, quam in Hispaniam perferretur. Sed nec quidquam ad Molinæ gratiam ingerit Philippus, datis Epistolis; aut excitatos de publicanda propediem Pontificiæ damnatione rumores insinuat; sed præfens gliscenti malo remedium rogat, sententiamque ex æquo, & jure ferri, postulat; clamor, affectibus in partem alteram, ac præjudicis plane libero. Sola Maria Augusta, tota ad Societatis genium fida, commendatitias Litteras dedit, eo rerum cursu, atque inflectu, quo jam a nobis cap. 4. libri 2. dictum est.

Somniis autem somnia ingeris, dum datas Alvaresii ad Bannesium Epistolam comminiferis, statore Consultorum judicio Censuræ fidem facientes; quibus ille perceptis, novas in Societatis Theologos turbas moverit; de quibus ea Regiæ Epistolæ verba intelligi debeant: *Discordias, quæ inter illos his mensibus exarserant, componi jussit Sanctissimus Vester: in quo Ministris S. Inquisitionis, quæ ad ipsas pertinebant, hic cumulate præstiterunt.* Ea quippe ad pristinas illas discordias aperteissime referuntur, quibus fociendis Pontifex ipse distincta mandata dederat: (3) qualia certe nulla post diem 26. Februarii data sunt.

CAPUT II.

Eleutheri, de secunda causa hujus examine, seu verius mutua partium collatione, aberratione, querele, hallucinationes ad crism vocantur. (2)

Præstat, hæc omnes, aut certe potissimas, ex ordine percensere, ac singulatim de unaquaque breviter dicere.

Non recte, judicio quidem tuo, dixit Historicus, Societatis, novum istud mutue collationis examen, postulantis consilia fuisse, primo ut interim tempus duceret, lateque Censuræ promulgationem studioso procrastinatione declinaret; secundo, ut conspita Molinæ causa controversie statum inverteret. Immo quam optime dixit Historicus. Nusquam enim adduci potuerit Societatis Adores, ut de Molinæ, in quem maxime intentata lis erat, quantio fieret; sed universim duntaxat de gratiæ sufficientis, & efficacis natura disputatum voluere. Neque id, uti somnias, postulavit Catholicus Rex; qui licet ex æquo, & bono judicium exegerit, vellet, (4) ut neutra pars, iniquiore, ulla in re, conditione premeretur; casque audiri prius, ac tum demum, causa satis cognita, jus æqualiter administrari; de Molinæ tamen silendum, nec leviter inuit. Quin potius, non ita post, instantes ad Clementem VIII. preces delegavit, (5) pro maturanda, atque vulganda Molinæ Censura.

Predicatos, subjungis, collationem cum Societatis Theologis declinare, ac subterfugere, omni industria moliri sunt: suam de physica prædeterminatione sententiam exponere noluerunt, nisi ægre admodum, & coacti a Cardinali Madrutio, hoc in primis pre-textu, quod actores, non rei essent; deinde, quod sen-

(1) Natus est Franciscus Pegna anno 1549. Obiit anno 1612. ætatis suæ 72. (2) Extat in Appendice (3) Vide sect. 3. cap. 2.

(1) Lib. 2. c. 1. (2) Vide supra sect. 3. c. 3. (3) Vide lib. 1. cap. 26. (4) Epist. ad Oratorem die 26. Novembris 1598. (5) Vide lib. 2. cap. 9.

sententiam suam, totius Ordinis nomine, nolent exponere, donec Provinciarum suffragia exceperint. Fallis, ac verbis ludis. Non collationem subterfugere mollebantur, sed Societatis Actores, omnem de Molina tractationem subterfugere molientes, ad officium reducere nitebantur. Nec suam ipsi de physica prædeterminatione sententiam exponere detrectabant, quam quoties sub Paulo V. publico examini subicere iussi sunt, toties plena Romanorum Centorum suffragia reulerunt, sed servari juris ordinem volvere, ut de Molina, in quem actio primum instructa fuerat, in antecessum ageretur, quam isthæc de physicis motionibus quaestio moveretur. Quid tu porro nostrorum Theologorum diffidentia tribuis, quod sententiam suam, totius Ordinis nomine, nolent exponere, donec Provinciarum suffragia exceperint; cum hanc ipsam a Generali Societatis Præposito cautionem exhibitam, scribas ipso statim libri huius initio; cumque non antea aleam subisti moneas, quam omnes omnium Provinciarum Ordinis sui Superiores Doctoresque præcipuos per litteras consultasset? Quidve ex hac nostrorum denunciatione consequens esse putas, non exploratum ipsis tunc temporis fuisse, quid de physicis prædeterminationibus Dominicani Ordinis Theologi sentirent; cum ex pari Societatis Præpositi agendi ratione consequens esse nolis, exploratum illi non fuisse, quid de Gratia congrua, de Scientia-Media, aliisque id genus opinionationibus, Jesuitæ sentirent?

Sequitur eodem narrationis tue textu: Quod addit Historicus, noluisse Prædicatores Molinæ causam præmittere, quod scirent, illum (quia iis in capitulis prædamatus erat, que toti erant Societati communia) nusquam propterea a Societate dimissum iri, quidquid tandem Viri industrii fide adpromitterent; in eo Generalem Societatis calumniatur. Supponit enim, promississe illum, & fide quidem, dimissurum se Molinam iis in capitulis, que toti erant Societati communia: quod falsissimum esse, ex ipsius oratione superius recitata evidenter constat. Atqui tantum abest, ut id ego ponam, quod fidenter asseris, ut contra potius hoc alterum maxime velim, fieri omnino non potuisse, ut Molinamintero animo ad tempus dimitterent Socii, cum is non in privatis duntaxat opinionationibus prædamatus esset, sed in iis doctrinæ capitulis, que toti erant Societati communia.

Pergis fabulam facere: Die II. Martii decrevit Clemens, velle, ac iubere se, ut causa Molinæ seponatur; generalis controversia de Auxiliorum efficacia tractetur. Tum quo efficacius per suos quoque alumnos ambæ Familia ad id quod operabatur, inclinarentur, Cardinales Afulanus, & Bellarminus adiuncti Madratio suere, & votibus deinde indicendis cum eo præesse iussi. Antea omnia Cardinales tres conveniunt die 18. Martii, ad constituendam inter se negotii administrandi rationem. Ibi unanimi consensu decretum, ad eliciendas, quod opus erat, contententium sententias, proponenda utrisque esse certa capita principalis controversiæ, ad que utriusque propositiones suas, scripto conceptas, proferrent. Sub hæc indicto tertio conventu ad diem 3. Martii, præsto fuerunt Generales ambo, cum tribus quique consuetis comitibus. Iis Cardinalis Bellarminus (nam ita convenerat) hæc capita quaestionum, scripto edita, proposuit, ad que ambe partes, sumto spatio, responderent.

Qua fide, qua audacia verferis in ea ambarum partium collatione recensenda, hinc maxime conspicitur potest. Ut enim dissimulem, rem longe fecus in Cardinalis Madrutii Codicibus MSS., unde nostra ferme omnia delibavimus, recenseri; ne veri quidem speciem tota illa narratione tenuisti,

Inepta in primis est nota temporis; fingunt enim tres Cardinales die 18. Martii convenisse, habendumque Virorum Religiosorum conventum indixisse in diem tertium Martii; nimirum ordine præposito, ac retrogrado. Fingitur & Clemens edixisse, ut causa Molinæ seponeretur: minus quidem ex veri specie; quippe qui, quoto subinde tempore congressibus præsens adfuit, habendumque disputationum argumenta per se se indixit, nihil tam cordi habuit, quam ut Molinæ causa expenderetur. Inducitur demum Cardinalis Bellarminus, ex Collegarum condito, quaestionum capita præfigens: nempe contra Purpuratorum Principum formulas; nec fatis ex juris ordine. Erat enim Madrutius Sacri Collegii Decanus, summus in Romana Curia fidei Quaestor, ac dudum institutæ de Divinis Auxiliis Congregationis Moderator: Bellarminus ante paucos dies sacro Purpuratorum Collegio adiunctus. Quis ergo primas in iis Congressibus honoris, ac dignitatis partes Bellarmino tribuit, facile credat? Ad hæc, Bernerius, quem ab Episcopatu Afulano de more vocant, & Bellarminus non tam Collationum istarum arbitri dari erant, quam sui quisque, unde assumti fuerant, Instituti patroni, & advocati. Ex aequitate itaque norma non erat, ut qui Societatis iura tuebatur, collationum argumenta præfigeret. Quare genuini Congregationum istarum Commentarii, tria hæc abs te aut fabricata ingenio, aut ex imperiti lacunis derivata, multo aliter narrat. Constat enim tertie Collationis diem adnotant, non Martii tertiam, sed vigesimam nonam: a Clemente edictum referunt, ut ea quoque expenderetur; que contra Molinam in Apologia Prædicatorum Hispaniæ objecta fuerant: Quaestionum denique capita octo a Madratio ipso proposita representant; que tu, ab ipsismet Dominicis formata, ingenti hallucinatione fabularis. Nec mediocriter commotum, ajunt, Cardinalem Bernerium, dum Bellarminus, arrogato sibi Præsidii jure, distinctæ collationum capita, cum Socii secreto collata, Prædicatoribus obtulit. Quæ omnia, cæteraque inde secuta, que tu vel caute dissimulas, vel fæde corumpis, prolixè narravimus loco suo. (1)

Claudis fabulam hæc perbella & ingeniosa observatione: noluisse scilicet Prædicatores in eo partium congressu ad propositas Bellarmini quaestiones responsum dare; ne physica prædeterminationis dogma, cui male metuebant, propalare cogerebantur: harum quippe prima his verbis expressa erat: An sit necessaria intrinseca Dei, & physica prædeterminatio, ut liberum hominis arbitrium operationem liberam moraliter bonam eliciat? Illosque sat bene sensisse, Bannezanam de physica prædeterminatione sententiam, si Romæ in discussionem veniret, periculo damnationis eripi non posse.

Gerræ, nuge! ut quid enim, quod physica prædeterminationi male metuerent, Bellarmini quaestionibus responsum negassent; qui hanc ipsam, Madrutii quaestionibus respondendo, tam nitide, tam aperte, tam constanter explicarunt, declararunt, propugnarunt? Sic dato Responso ad tres Madrutii quaestiones mense Augusto 1599.

(2) Si nomine prædeterminationis physice intelligatur prædeterminationem ad unum, imponendo necessitatem, sicut est in rebus naturalibus; abest ut gratia efficiat, seu Deus per gratiam efficiam ita prædetermine voluntatem. Si autem intelligatur gratia Dei, que efficit, quod voluntas infallibiliter se determine, tanquam secundum determinans liberum sub potenti manu Dei determinantis; verissimum est, Deum hoc modo physice, seu efficaciter prædetermine

nare voluntatem prius natura, simul autem tempore. Quod altero subinde scripto, die 12. Februarii, anni 1600. Cardinali Madratio dato, prolixè confirmarunt, laudatis in eam rem Dionysio Areopagita, Athanasio, Chrysoftomo, Theodoro, Leone magno, Anselmo, Doctore Angelico. Quare non potest calumnia loco non excipi, quod ad ornandam fabulæ tuæ clausulam scribis: Aliquot ex PP. Dominicis, qui Magistro Generali Ordinis, in congressibus coram Cardinali Madratio, aderant, admittere prædeterminationem recusasse: & inter illos ex ipsis, qui illam admitterebant, contraversam fuisse, alio agente, vi prædeterminationis istius aliquam indifferentiam tolli, alio negante. Quæ duo in fabulis esse, plus satis evincit geminum scriptum, concordio consilio iis in congressibus a Dominicis Actoribus datum. Nisi forte, quod ineptum, ac puerile est, in verbis per se ambiguis, & æquivocis ludeat maluisse. Utrumque enim certo sensu affirmari, ac negari perinde potest: & dari prædeterminationem ad unum, cum potentia videlicet ad oppositum; & non dari prædeterminationem ad unum, subdita videlicet ad oppositum potestate: & tolli vi prædeterminationis passivam indifferentiam, & non tolli vi prædeterminationis indifferentiam activam.

Certe nihil fuisse, cur sibi Scholæ Thomistica Professores male metuerent, si domestica de physica prædeterminatione sententia Romæ in discussionem veniret, non evincunt modo habitæ ea de re sub Paulo V. felici semper exitu repetitæ concertationes; verum etiam ipsismet Cardinalis Madrutii iudicium, scripto datum, quo tempore congressuum istorum Moderator esset, ac Præses. Videtur, inquit ille pag. 28. Codicis MSS. (1) quod sententia Bannes sit deducta ex principis D. Thome, & quod tota suat ex ipsius doctrina, licet in modo loquendi aliquantulum differat. Nullibi enim S. Thomas dicit, liberum arbitrium moveri concursu physico, sive gratia, efficaciter physice prædeterminante liberum arbitrium. Si tamen attente legatur, in re non videtur ab ista Banneſii sententia, aut modo loquendi distare. Primum enim S. Thomas tenet &c. Et pag. 171. Prædeterminationis physice doctrina, que aliquibus videtur non absurda tantum, & nova, sed etiam bonum temporum heresibus favens, si jure consideretur, Divina, summa, & infallibili providentia, & incomprehensibili ejus sapientia, potentia, & voluntati maxime congruit. Unde nec nova dici potest, nec illo pacto cum falsis hereticorum dogmatibus convenit, aut illis deseruit, &c. Quo iudicio, aliisque longe multis, propria Eminentissimi Viri manu exaratis, quis de geminæ scholæ doctrina, in eo partium congressu explicata, ac declarata, sententiam profert, Thomisticam commendat, probat, laudibus effert; Jesuiticam rejicit, damnat, abjudicat; palam, aperteque convincitur, te totam illam mutui congressus enarrationem mille conviciis infarsisse, (qui Madrutium nobis alium effingis, Societatis Actoribus identem applaudentem, ac Dominicis interlocutoribus sæpius succententem.

Iis tu Codicibus MSS., de quibus lib. 2. cap. 8. fusc diximus, fidem derogas; haud alia certe de causa, quam quod tibi laqueum stringant, nullamque evadendi spem reliquam faciant. Et nos quidem tabularium, quo servantur, indigitavimus, nec illud quidem domesticum, ne que forte subest doli suspicio, sed alienæ curæ commissum: præfixam Coronelli, Romanarum Congregationum Notarii ratificationem adjecimus, que fidem servatorum Codicum locupletissimam faciat: ipsam demum Eminentissimi Viri manum, Romæ, ubi Serry Tom. II.

diu generalem fidei Quaestorem egit, probe cognitam adnotavimus: que tria plane decretoria argumenta, cuiusvis pervicacis, ac refractarii Centoris assensionem extorqueant. At quas tu, quæso, ut fidem abneges, nugæ loqueris; quos insulso paralogismos obrudis? Audite, quotquot estis critica scientiæ periti, rectumque de veterum scriptis iudicium ferre discite.

Madrutius, sic enim loqueris, Bellarmini Opusculum approbaverat, quo Lessii doctrinam, a Lovaniensibus inustam, defendebat: non itaque eorum Codicum auctor esse potest, quibus Moliniana doctrina tam aspere suggillatur. Verum tam fida Madrutii approbatio, quam silitium Bellarmini Opusculum. (2) Quamquam, si genuinum Bellarmini Opusculum fateremur, quo tu, quæso, momento a Madratio probatum ostenderes? Quo tandem pacto datam eam approbationem evinceret; an verbo tenuis, an scripto, an lato ex tribunali iudicio? Quandoquidem ad hanc usque diem inedita Bellarmini scriptio delituit.

Pergis: Toto collationis tempore, nullo unquam verbo, signove indicavit Madrutius, probari sibi prædeterminationum opinionem, aut Scientia-Media, gratiæque congruæ systema improbari. Et id vero qua facilitate dicitur, eadem quoque negatur. Demus tamen, id esse: quis non videat, potuisse, aut etiam forte debuisse prudentissimum collationis Moderatorem, & arbitrum, intimo cordis sinu continere, quam ferret de utriusque Scholæ doctrina sententiam; ne alterutri loquendi fiduciam adimeret; interim tamen abdito, secretiorique musæo suas in expositæ doctrinæ capita animadversiones litteris traderet?

Initas: Coronelli Acta nullius omnino fidei, & auctoritatis esse, ac propterea a nemine allegari posse, vel debere, Innocentius declaravit: nulla est ergo Coronelli epigraphæ, Madrutii scriptis præfixa, Lepida consecutio! Quasi vero Actorum, que Innocentii tempore circumferri, publicarique ceperant, pars illa fuerit? Aut forte, tacente etiam Coronello, sua scriptis illis non confidet auctoritas, propria Eminentissimi Viri manu exaratis?

Ecquid vero, replicas, respondebit querenti, quomodo Codices illi in Coronelli manus venerint, quos ipse Madrutius moriens, si Historico fides est, Summo Pontifici tradi iussit, ab ipso deinde summo in pretio habitos? Id profecto respondebitur, quod cuique vel mediocriter intelligenti statim venit in mentem: Idcirco maxime in Coronelli manus venisse Codices illos, quia & Pontifici traditi fuerant, & summo ab ipso in pretio habebantur. Publicæ quippe rei interesse æstimatum est, ut tanti Viri iudicium inter cætera Congregationis de Divinis Auxiliis instrumenta apud eisdem Notarium, & scribam religiose custodirentur. Nec multo difficilius respondebitur inquirenti, Quorsum Alvarezius, cui scripta illa ignota esse non poterant, nusquam in suis post Congregationes editis libris, mentionem aliquam illorum fecit, ad conciliandam prædeterminationum opinioni auctoritatem? Id enim hæc ipsa ratione factum, dicemus, qua nusquam quoque editarum a Consultoribus Censuratum mentionem iniecit, ad conciliandam prædeterminationum opinioni auctoritatem, tamen ignota illi esse non possent: quod nimirum omnia tunc sub sigillo tenerentur; nec deceret, determinationem S. Sedis Apostolicæ, que prope diem expectabatur, privato iudicio prævenire; ut loquitur Alvarezius in Prologo ad lectorem Operis de Divinis Auxiliis.

Sed sunt, inquis, Codices illi MSS. tot erroribus, ac falsitatibus scatentes, ut eos Eminentissimo Viro adscribere, non leve piaculum sit. Atqui id

(1) Lib. 2. c. 5. in Appen. (2) Vide in Appen.

(1) Extant in Appen. (2) Vide hic scilicet 3. cap. 6.

verius grande piaculum est, Eminentissimi Viri scripta, quæ propria manu exarata videntur Romæ, obiectis per summam calumniam falsitatibus, & erroribus vellere. Et qui, quæso, sunt illi, quos fingit errores? Audiamus. Primum iis in verbis locas: „Nec ipse S. Augustinus, nec Prosper ejus defensor, nec Celestinus Papa, nec alii, qui adversarios, & calumniatores doctrinæ S. Augustini damnarunt, & vicerunt, unquam sensum Augustini putarunt alium ab eo, in quo capiebatur ab ipsis calumniatoribus. Sed & ipse met Prosper, & Celestinus illum tuerentur in eo sensu, quo alii scandalizabantur, & tristabantur. Quod quidem D. Properi testimonio contrarium putas in Epistola ad Rufinum; & in Responsionibus ad Capitula Gallorum ita scribitis: *Ne ergo banc persuasionem temere quis recipiat, ut talem putet sensum scriptis Catholicis inesse Doctoris, qualem eum, qui frustra calumniatur, ostentant.*

At hæc brevis animadversione calumnia depellitur. Aliud nempe sunt Augustinianæ doctrinæ capita, de quibus Pelagiani, ac Massilienses scandalum patiebantur, aliud horrenda, & impia confectaria, propter quæ nasci scandalum, dicebant, quod hæc ex ipsis Augustinianæ doctrinæ capitibus fluere, sibi fingerent. Priora sua factus est Augustinus, facti sunt & illius post obitum defensores, quamquam ab æmulis in invidiam traherentur; ut vocationem secundum propositum Dei, non hominis fieri: alios eligi ex misericordia, non eligi alios ex judicio: gratiam non secundum merita nostra dari: quibus datur, ex Dei misericordia dari; quibus non datur, ex Dei judicio non dari: Deum interna, & occulta, mirabili, atque ineffabili potestate operari in cordibus hominum non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates: subventum esse infirmitati voluntatis humanae, ut Divina Gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur: aliaque id genus, quæ Pelagiani, ac Semipelagiani, etiam quo sensu ab Augustino docebantur, scandalum erant. Verum quæ inde confectaria æmuli derivabant, propter quæ ingenerari ex Augustini doctrina scandalum, dicebant, ea nec sua esse, nec ex genuino prædictorum dogmatum sensu fluere, Augustinus, ejusque Discipuli demonstrabant: ut quod ex prædestinatione Dei, velut fatali necessitate, homines ad peccata compulsi cogantur in mortem: quod hominis arbitrium in homine nihil sit: quod non pro totius mundi redemptione Salvator sit crucifixus: cæteraque id genus multa, quæ ex gemino gratiæ prædestinationis, gratiæque se ipsa victicis dogmate sponte fluere, Gallia Presbyteri contendeant. Non est itaque Madrutius contrarius Prosperi; sed quod Madrutius de ipsismet Augustinianæ doctrinæ capitibus affirmavit, (quæ quo sensu etiam ab Hipponensi Præsule tradebantur, hoc ipso etiam æmulos offendebant) id de horrendis, & impiis confectariis inficiatur est Aquitanicus. Nec aliud sua illa observatione sibi voluit Eminentissimus Vir, quam quod universi gratiæ se ipsa efficacia vindices ponunt, dum ita in Molinianos argumentantur: „Illud efficacia gratiæ genus docuit Augustinus, de ista confectaria derivabant Semipelagiani, viri alias pietate, & eruditione conspicui: Liberum arbitrium extingui, fatalem necessitatem induci, fœcordiam, ac negligentiam inferri, correptionis, & orationis opem excludi: ac nemo vel mediocriter intelligens ea confectaria derivaret ex hypothesi gratiæ, cujus efficacia ex vocationis congruitate, liberæ arbitri confessione suspenditur: non eam itaque docuit Augustinus, sed potius se ipsa victicem; cui

hæc ipsa invidiosa confectaria a Molinianis ad ravim usque obijciuntur.

Errorum Madrutii alterum in istis ponis loquendi formulis, Baiianismum, ac Jansenismum, ut tibi visum est, præferentibus: *Inspirata dilectione, vel delectatione tanta, quæ superet dilectionem, vel delectationem tenebrarum, proinus sit liberæ hominis conversio; quod enim libenter sit, liberæ sit. . . . Quomodo vitalis motus est aliquo modo a voluntate, si non est, ut a potentia liberæ? Quomodo est a voluntate, si est ante alium liberæ consensum? Sincere loquor, Eleutheri, nunquam te aut ita ignarum existimarem, ut has ipsas loquendi formulas, summis Theologiæ Magistris, ac Patribus familiares esse, nescires; aut ita iniquum suspicatus essem, ut, si quem rectum apud illos sensum accipiant, eundem apud Madrutium accipere posse perniciter nolles. Hugo a S. Victore tracl. 2. *Ex quo voluntas est, libertas est: Magister Sententiarum lib. 2. dist. 25. Ubi non est libertas, nec voluntas: S. Joannes Damascenus lib. 3. De fide, cap. 14. Arbitrii libertas nihil aliud est, quam voluntas: S. Anselmus lib. de Concordia, cap. 2. Ex libertate fit, quod fit ex voluntate: S. Bernardus lib. De libero arbitrio: Ubi consensus, ibi voluntas: porro ubi voluntas, ibi libertas: & hoc est, quod patet dici liberum arbitrium: S. Augustinus lib. 3. De libero arbitrio, cap. 3. Voluntatis nostra nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate: porro, quia est in nostra potestate, libera est nobis; non enim est nobis liberum, quod in potestate non habemus. Si porro isthæc a Patribus, ac summis Theologiæ Magistris catholice dicta putas, quod juxta Angelicum interpretamentum, quest. 22. De verit. art. 5. & quest. 23. art. 4. De voluntate, non uti natura est, sed uti voluntas, ac rationalis est, dicta censentur; quid ita de Madrutio inique sentis, ut illum pari sensu locutum, perniciter nolles?**

Postremam Madrutii hallucinationem in eo positam dicis, quod activam voluntatis determinationem a Calvino negatam, scripserit; nullumque liberi arbitrii consensum activum ab eo admittim, arbitratus sit. Quandoquidem, inquis, certo certius est, Calvinum Lutheri hæresim non mediocriter temperasse; utroque novisse, voluntatem active ad operationes suas concurrere, ac motu etiam interno, sin minus libero, ac certe spontaneo: cum contra Lutherum, in extremum abiens, nullam voluntatis in bono opere exercendo vim activam agnoverit, sed mere passive concurrere, dixerit, motum, a Deo productum, velut inanimi quoddam, recipiendo. Verum quid tu mediani periodi partem succidisti, ne quam Madrutius activam voluntatis determinationem, & confessionem a Calvino negatam dixerit, intelligeremus? Calvini, Madrutii verba sunt, nullum liberi arbitrii consensum admittit; nec vult, gratiam libero arbitrio vires tribuere, aut illi virtutem impartiri, quæ LIBERE UT SUE NATURÆ COMPETIT, in opus confessionis & fidei prorumpat. Non itaque omnem profus activam determinationem, & confessionem a Calvino negatam, intelligit; (quæ propria Lutheri fultoria fuit, ne spontaneam quidem confessionem agnoscerent) sed hæc unam a Calvino negatam scribit, quæ liberæ, uti rationalis natura postulat, conversionis, & fidei actus exercitum. Quamquam, si forte concederemus, Madrutium in ea facti questione capistrasse; & quod reipia Lutheri fuit, Calvinum per oscitantiam tribuisse; quid id, rogo te, ad illorum Codicum suppositionem demonstrandam, quasi fieri omnino non possit, ut vel levi inconsiderantia lapsus sit?

Lepidus tu vero, qui aliis Calvinianorum dogmata-

matum ignoracionem exprobes! Nempe ut, te Doctore, intelligamus, pseudo-reformationis Archiectum non modo spontaneam voluntatis determinationem, & confessionem agnovisse, sed & Augustino dedisse manus, & preparatam Divina Gratia voluntatem suis deinde in agendo partibus fungi non illibenter admittisse: quod ex illa ejus lacinia extendere, tibi putas lib. 2. Institutionum cap. 3. §. 7. Sed erunt forte, qui concedant, voluntatem suapte ingenio aversam, sola Domini virtute converti; sic tamen, ut preparata suas deinde in agendo partes habeat, quemadmodum docet Augustinus, omne bonum opus gratiam præcedere; & id, comitante, non dicente, pedissequa, non prævia voluntate. Quod non male a Viro dictum. Vah imprudentem, & inconsultum accusarem! Ut Madrutio ignoti Calviniani systematis notam impingas, Calvinum ipsum Augustini discipulum facis: quodque indignum est, eam recitatae periodi partem rescias, qui, quod in Augustino probare atqueque visus erat, de industria resistit. Sic enim profecit Calvini: Quod non male a S. Viro dictum, præsertim hoc detorquet Petrus Lombardus. Ego autem tam in Propheta verbis, quæ citavi, quam in aliis locis, clare duo significari, contendo; quod & prout voluntatem nostram corrigit Dominus, vel potius absorbeat; & a se ipso bonam submittat. Quatenus a gratia prevenitur, in eo ut pedissequam appelles, tibi permitto. Sed quia reformata opus est Domini, hoc perperam homini tribuitur, quod gratia prevenitur pedissequa voluntate obsequatur. Viden, ut deserit Augustinum? Unde & Bellarminus, quem Magistrum audire non gravaberis, iis maxime verbis Calvinum Augustino contrarium probat, (1) quæcis tu assentientem ostendere intulisti.

CAPUT III.

Notatur Eleutheri lapsus, fabella, calumnia de tertio Cause hujus examine; quæ prolixæ Congregationis Consensu, a Gregorio Coronello digesta, & ab universis Consensibus, uno duntaxat excepto, subscripta, denique recognita, & approbata est.

Non hic nobis advocandæ suppetiæ, nec multum laboris impendendum, ut quæ per se se fidem omnem, ac patientiam narratio superat, reflatur. Hujus duntaxat præcipua capita dispungenda veniunt, cætera silentio contentenda.

Dignum fabulæ prolium istud est: „Solutis morte Cardinalis Madrutii privatis partium collationibus. . . . Coronellus, Dominicanus instigantibus, Codicem prægrandem, bienni ferme spatio a se elaboratum, insignitumque hoc titulo: *Censura libri Molinæ de Concordia*, nominibus aliquot Consultorum, non tamen omnium subscriptum, officiosa commendatione Potentium, præparatum ad Pontificem aditum, nactus, Clementi obrulit. „Quis hanc inepti lateronis vocem non dicat, non modo sine auctore, sine teste, quæcumque animam subeunt effluentis; sed ne veri quidem speciem mendacitatis putidissimis affingentis? Erat enimvero Coronellus selectæ Congregationis Notarius, ab Apostolica Sede constitutus; Censuramque non suo, sed Collegarum nomine adornaverat, omnium chirographis, uno duntaxat excepto, subscriptam, ante mensum decimum tertium. Hæc etiam ne prodiret in publicum, supplicaverant Jesuitæ, donec amica collatione partium concordia tentare-

Serry Tom. II.

(1) In Præfat. de liber. arbit. tom. 3.

tur. Nihil itaque e re magis erat, atque ex Coronelli munere, officioque, quam ut, solutis citra spem concordie collationibus, adornatam, subscriptamque Censuram Pontifici traderet; ut quid demum factu esset opus, supra auctoritate decerneret. Quid tu igitur instigantes Dominicanos obrudis? Quid officiosos Potentium commendationibus præparatum ad Pontificem aditum commiseris? Quid demum Censuram Consultorum, duntaxat aliquot nominibus subscriptam, obiter innuis, ut partem illorum maximam refragatam, lectores intelligant? Certe nec Prædicatorem instigationibus, nec Potentium officiis eguisse Coronellum, ut Clementem adiret, eo vel maxime liquet; quod prior ipse Sanctissimus Sæe mandato occupatus sit, & una cum reliquis Consultoribus evocatus. Hujusce rei, Coronelli verba sunt, cum Cardinalis Madrutius Sanctissimum Pontificem certiorum reddere sollicitus, ut tandem Controversiam dirimat, gravi morbo correptus, vitam cum morte commutavit die 20. Aprilis, Anno Domini 1600. Proutinud ad se vocavit Sanctissimus Pontifex Consultores omnes &c.

Respondet prolium fabula. Ut primum, inquis, oblata Pontifici fuit Consultorum Censura, hoc est mense Aprilis 1600., confessio sparsis per urbem rumores in Societatem atrox. . . . In Hispaniam de parata, & imminente Molinæ damnatione perscriptum. Passim illic, & confitentissime jactabatur, libros Jesuitarum decreto Pontificio max ubique publice flammis addendos: Exultant jam tunc Romæ Molinæ statum: interdum quæque illis omnem docendi usum; & scholas ubique, & collegia eorum seriali, & ignominioso justitio claudenda, ne Pelagianam suam doctrinam in juvenentem propagarent. Quorsum ista, Eleutheri, in tantam invidiam exaggerata? Nempe, ut nostri horum rumorum auctores intelligantur: eo quippe collimant omnia. At hæc ipsa, quam recitas, Cardinalis Bellarmini Epistola, qua Antonio de Padilla rescripta die 9. Martii 1601., quid veri subesse, tot sparsis in Hispania rumoribus, Prædicatores, Romæ degentes, invidia liberat, eosque tales effingit, qui exaggerata ista, ac perabundantia nuncia dare nequiverint. Hæc pro restitissimo, certissimoque habe, scribebat ille, comburenda statim Molinæ ne cogitationem quidem hic cuiquam obortam, nedum hoc jam factum, quod isti jactant, credi debeat. NAM EJUS QUOQUE, QUI HIC SUNT, ADVERSARI PALAM ILLUM PRO CATHOLICO, AC BONO RELIGIOSO HABENT.

Hujus ego Bellarmini ad Padillam Epistolæ, die 9. Martii anno 1601. datæ, nuppiam meminisse: nec nisi frequentibus tibi formis accensendum est, quod scribis: *Hujus Epistolæ nuperus quoque meminisse Historicis in hæc verba: „Tan-* tus hujusce latæ Censuræ rumor in Hispaniam volitavit, ut rem ultimo judicio eliquetam crederent universi, donec Cardinalis Bellarminus Litteris die 18. Augusti, causam adhuc sub Summi Pontificis judicio stare, testatus sit. Errat tamen Historicus in assignando tempore Litterarum, quæ non die 18. Augusti anni 1599., ut scribit, sed multo post, die scilicet 9. Martii anni 1601., scriptæ sunt. Erras tu potius, qui, ut errorem exprobes, binas Bellarmini ad Antonium Epistolæ, vario rerum concursu datas, in unam inepto compingis. Jam enim ab anno 1598. desinente, & 1599. ineunte, Hispaniam universam damnati Molinæ pervaserat rumor; ex quo nimirum Censuram ejus ultimo congressu decreverant Consultores, die 22. Novembris 1598. quod tu ipse fufe cap. 5. enarrasti, ac variis et-

M 2

iam

iam figmentis auxilii. Tunc ergo primum ab Antonio de Padilla interrogatus Bellarmius, quam sperari rumores veritatem haberent, primam à me memoratam Epistolam dedit die 18. Augusti 1599. Tum sedatus aliquantulum rumor, quoto tempore meditata Censura delinuit, & amicæ partium collatio, in spem ineundæ concordie, habita est. Ac tandem multo quam antea inclementius damnandi Molinæ rumor increbuit, dum solutis anno 1600. collationibus, omnique ineundæ concordie spe procul abiectione, decreta diu Censura in lucem producta est, ac de promulganda Pontificia sententia questio fuit. Tuncque secundo interrogatus Bellarmius, alteram, quam recitas, Epistolam dedit die 9. Martii 1601. Hæc a te, & ordine temporum, & rerum conditione diversa, distingui oportuit: ac contradicendi libido animum in transversum egit.

Pergis nostra cavillari: Redarguenda hoc loco venit Augustini le Blanc mira qualibet effutendi audacia. Quam Patres, inquit, Societatis in mutuo congressu fidem dederat, Molinam in defensionem Consultorum iudicio dimittendi, hanc, defuncto Madrutio, protinus violaverunt. Nunquam enim Claudius Generalis, aut aliquis de Societate Theologus, in muris illis coram Cardinali Madrutio congressibus fidem obtinuit, Molinam indefensam Consultorum iudicio dimittendi. Immo caliganda venit Eleutherii pertinacia, nil nisi quod domesticis chartis inscriptum legit, pro certo statutis, tamen cæteris quibusque documentis contrarium demonstraret. Nostram enim vero, in eo facta referendo, fidem absolvent Codices MSS., unde rotam ferme mutui congressus historiam delibavimus: ubi discretissimis verbis a Societatis Præposito fertur denunciatum, Molinæ causam a suis minime defendi, sed deputatorum Consultorum iudicio permitti. Absolvit etiam Coronellus in brevi Actorum enarratione, ubi Socios Pontifici etiam contestatos ait, Neque velle, se de doctrina Molinæ agere, neque eam defendere, sed tantum de gratie essentia, & virtute differere.

Verum quia demum festivitate, qua pompa, Molinæ procuratores inducis, qui clientis causam orarent, & contra decretam pridem Consultorum Censuram tuerentur? Quam optimis instructos instrumentis, sacro Clementis tribunalis illos adstituit, Archiducis Alberti, & Lusitanæ Inquisitionis Epistolæ, lati pridem secundum Molinam iudicii fidem integram facientibus; Hispanicarum Academiarum Censuris, iubente supremo Questore, ante annum quintum exaratis; Religiosorum viciorum thesibus, atque libellis, in Molinæ defensionem conscriptis? (1) Quasi hæc Pontificem hæcenus latuissent, qui has ipsas Censuras ante biennium expendi iusserat; & Mariæ Imperatricis commendatitias Epistolæ diu ante receperat, quæ decantantur illud Inquisitionis iudicium ingerebat: aut forte non satis abunde demonstratum a nobis esset, quam improbo titulo isthæc ad Molinæ gratiam proferrentur. Quam ovanter, datas ab iisdem procuratoribus, exceptiones perennes, adversus Romanæ Censuræ, atque Consultorum auctoritatem? Illud duntaxat dolendum, eas & futiles, & calumniæ plenas Clementi VIII. visas esse, qui, reiectis, spretisque Sociorum querelæ, delectos semel Censores ad ultimum approbavit, illorumque auctoritatem ratam, & integram haberi voluit; tamen dudum e vivis excessisset Eminentissimus Princeps, (2) cujus præsertim instigatione delecti, ab æmulis dicebantur.

Nihil plus Consultores a sententia dimoverunt

futiles exceptiones; qui prolixam Censuram, tertio instituto examine, confirmaverunt; eisdemque summam ad viginti doctrinæ capita revocarunt: Quod duodecimo capite libri secundi narratum est.

Hujus tu examinis exitum tam inepte, tam fœde corrupis, ut singulis ferme verbis impingas. Percurramus singula.

Omissa, & abdicata Coronelli Censura, aliæ mitiones proceduntur. Ita tu ipsomet capitis titulo. E contrario Congregationis Notarius in brevi Actorum enarratione: Præcepit Sanctissimus Dominus, ut rursus Consultores expenderent Censuram factam in libro Molinæ; & si in sententia peristerent, illam propriis subscriptionibus manerent. Quoniam vero Patres Societatis conquesti fuerant, quod multa Molinæ imponerentur, quæ non dixerat, decrevit, ut sententiæ Molinæ, relate in Censura, a per Codeic, cum illius verbis formalibus conferretur, ne quid illis adderetur, vel subtraheretur: Quod ita factum est. Ex repetita autem lectione, & inspectione Codeicis constitit omnibus Consultoribus, Molinæ sententiæ fuisse fideliter, & candidè relatas, & æque damnatas. Quibus denuo visis, & diligenter consideratis, cum censuissent, persistendum in Censura, subscripserunt omnes, excepto Patre Procuratore S. Augustini, qui prius Molinæ doctrinam Pelagianismi condemnaverat, & Patre Regente Collegii Carmelitarum, qui semper iudicavit, illam esse probabilem; prout latus in Actis, exhibitis SS. Pontifici. "Itudne est, Eleutherii, omitti, & abdicari Coronelli Censuram, an verius confirmari? Age jam, mitiones illas Censuras, prioris loco, ut loqueris, subrogatas audiamus; & mirabilem illam, quam obijcis, Consultorum variationem, & in censendo inconstantiam videamus.

Itaque, inquit, scriptus, & productus, nomine communi Consultorum, brevis alius Commentarius, in novem non longa capita divisus... quibus novem, & quadraginta duntaxat propositiones damnabantur &c. Omissio hoc Commentario, quadraginta novem damnabiles propositiones complectente, alium mox iidem libellum concinnant, quo propositionum numerum contraherent ad duas supra quadraginta. Miror, illud quoque non additum, ad speciosius inconstantie argumentum: eo etiam omissio libello, quadraginta duas propositiones damnabiles complectente, ultimum tandem accessisse, quo viginti duntaxat consignabatur: nam & hoc quoque peractum ab illis est. Sed hæc omnia, a Questionum summi momenti Ventilatore altius exaggerata, satis, superque eversa sunt Tom. 1. Gallicæ Defensionis, cap. 4. & lib. 2. Historiæ, cap. 12. sub ipsum statim initium. Unum hic, tot illis, quibus lectores deludis, officii depellendis, monere sat erit: Censores, tertio illo cause examine, duo maxime ex Pontificis mandato præstitisse: prolixam scilicet Coronelli Censuram recognovisse; at tum recognitam, probatamque, ut vidimus, ad breviorē formam contraxisse, majori Pontificis commodo, & Cardinalium, a quibus & ipsa legenda erat. Quis ergo prolixam Coronelli Censuram, quam probatam fuisse liquet, vel hoc uno rejectam effutiat, quod eius epitome confecta sit? Aut quis Censores in referendis censuris instabiles dicat, quod non prima statim informatione, sed paulatim, ac veluti per gradus compendium adornarint; donec Molinæ doctrinæ summam, prolixam Censuram in-

injustam, ad viginti capita revocasset? Horum in demandando Molinæ constantiam exploratam habebit, quisquis octoginta novem Molinæ propositiones, prima omnium Censura confixas, cum viginti propositionibus, in postremo Censura compendio damnatis, conferre voluerit. Sic enim

Prima Molinæ propositio ex viginti damnatis in postremo Censura compendio.

Concurfus Dei generalis non est influxus Dei in causam secundam, quasi prius a Deo mota agat, & producat suum effectum; sed est influxus immediate cum causa in illius actionem... & effectum... Influxus vero ille, quo cause applicentur, & moveantur ad agendum, est contentivus, & minime necessarius... multumque præjudicat libertati arbitrii nostri... Deus enim, & Liberum Arbitrium habent se, tanquam duæ causæ partiales.

Asservitur formaliter a Molina in sua Concordia, quest. 4. art. 13. disp. 26. §. Dicendum, & in Editione Antverpiensis disp. 27. & in Commentario ad 1. partem D. Thomæ, eadem quest. disp. 6. & 7. §. Item §. Præterea, atque etiam §. Adde, & §. Attende.

Num, quæso, unica illa dextera Columnæ propositione quatuor, e regione posita, continentur, adiectis interpolationibus colligata, & ex variis Molinæ locis excerpta? Quid itaque Romanis Censuris variationem, & inconstantiam exprobas; qui, nulla remissione facta, octoginta novem Molinæ propositiones, priori Censura inustas, ad viginti compendio revocarunt? Aut quid, Molinam tuam magna ex parte ab iisdem absolutum, effutis, cujus iniuste primum propositiones octoginta novem vicinis ultimo digestis ex æquo continentur, ac suis perinde notis afficiuntur? Sed ad sequentia nos vocas.

Hic Libellus, compendio digestus, Consultorum chirographo firmatus, Pontifici oblatum, & per manus Cardinalium distributus est. Duo nuper adjuncti Præsules subscribere cum aliis recusarunt. Sed eorum alter, Archiepiscopus Armachanus, aliud seorsim scriptum edidit, quo propositiones non plus triginta reprehendebat: Alter, Melphethensis Antistes, (quem aliunde, conjectura est, Societatis doctrinam probasse) nec se Consultoribus assentiri, dixit, nec putare necessarium, proprio scripto suam sententiam exponere; quoniam alias suum de hac controversia iudicium, in quo adhuc per-

Quatuor priores Molinæ propositiones ex octoginta novem, in prolixa Censura confixis.

1. Ludovici Molinæ opinio est, quod Dei concursus generalis non sit influxus in causas secundas, quasi illa prius mota agant, & producant suum effectum.

Ita habet in Concordia Editionis Antverpiensis, quest. 14. art. 13. disp. 26. §. Dicendum, & in Commentariis ad primam partem, eadem questione, disp. 6.

2. Quæ de concursu Dei generali cum causis secundis docet, eo dirigit, ut similiter philosophandum esse dicat de concursu Dei cum libero arbitrio.

Ita declarat in Concordia, quest. 14. art. 13. disp. 29. & 30. in principio utriusque; & in Commentariis ad 1. part. quest. eadem, disp. 9. §. Ad primum, & disp. 10. §. Cum ex dictis.

3. Dicit deinde, Deum per concursum generalem cum causis secundis efficere unam integram causam, coalescentem ex duabus partialibus, non sicut ac duo trabentes navim.

Ita habet in §. Ex dictis, quest. 14. art. 13. disp. 26. Similiter philosophatur de auxilio generali supernaturali, & libero arbitrio, in Concordia quest. 23. art. 4. & 5. disp. 1. num. 6. ad 1. & quest. 14. art. 13. disp. 12. §. Est tantum.

4. Hanc opinionem ea potissimum ratione sustinet, quia existimat, præmotiones, & applicationes causarum secundarum ad suas operationes multum præjudicare libertati arbitrii nostri.

Ita asserit disp. 27. §. In primis, & §. Adde. Et §. Attende, dicit, Auctores contrarie opinionis arbitrii libertatem de medio tollere, & rem efficere de solo nomine. Unde §. Item, & §. Præterea ait, concursum illum, cum quo cause applicentur, esse omnino contentivum. Similiter docet in Commentariis ad 1. partem, disp. 7.

steter, Summo Pontifici aperuisset. "Novum enim vero commentum, ac reliquis multo insulsius! Nulli quippe, præter Masserium, Montis-Pelusanum Episcopum, qui & ipse una cum reliquis Censuræ subscripsit, adjuncti Præsules interveniunt, toto illo temporis intervallo, quo prolixa Coronelli Censura recognita, & in breviorē formam contracta est. De quo uno Coronellus in brevi Actorum enarratione: "Præ-nus ad se vocavit Sanctissimus Pontifex Consultores omnes; ad quos cum brevem habuisset sermonem, in numerum ipsorum cooptavit D. Fr. Hippolytum Masserium, Lucensem, Episcopum Montis Pelusii. "At tu supina hallucinatione, res plane distitas miscuisti; & Præsules, Armachanus, & Melphethensem, habitæ duntaxat post mensē alteram collationis arbitros datos, (ubi non de Censura, ab ipsis Consultoribus recognoscenda, contrahendave, sed de eadem, a Jesuitis recipienda, tractabatur, (1)) in Consultores, qui nulli tunc aderant, transformasti, qui subscribere cum aliis recusarint: novoque absurditatis genere, Episcopum Melphethensem, quem tuis suffragatum, temere conjicis, suam alias de ea controversia iudicium Pontifici scripto dedisse, commentus es; quam tamen nusquam ante cause huc

(1) Vide hic sect. 3. c. 1. & 3. necnon lib. 2. Hist. c. 10. (2) Cardinalis Alexandrinus.

(1) Leg. lib. 2. Hist. c. 12.